EXTRAIT DU BULLETIN DE L'ACADEMIE DES SCIENCES DE CRACOVIE.
CLASSE DES SCIENCES MATHÉMATIQUES ET NATURELLES.
JUILLET 1905.

FRAGMENTA ARACHNOLOGICA, III

SCRIPSIT

VL. KULCZYŃSKI.

CRACOVIE
IMPRIMERIE DE L'UNIVERSITÉ
1905.

BULLETIN INTERNATIONAL
DE L'ACADÉMIE DES SCIENCES DE CRACOVIE.

CLASSE DES SCIENCES MATHÉMATIQUES ET NATURELLES

Table des articles du No 1.

Janvier 1905.

Table des articles du No 2.

Février 1905.

Table des articles du No 3.

Mars 1905.

Table des articles du No 4.

Avril 1905.

Voir la suite à la page 3.

EXTRAIT DU BULLETIN DE L'ACADEMIE DES SCIENCES DE CRACOVIE.
CLASSE DES SCIENCES MATHÉMATIQUES ET NATURELLES.
JUILLET 1905.

FRAGMENTA ARACHNOLOGICA, III

SCRIPSIT

VL. KULCZYŃSKI.

CRACOVIE
IMPRIMERIE DE L'UNIVERSITÉ
1905.

Extrait du Bulletin de l'Académie des Sciences de Cracovie.
Classe des Sciences mathématiques et naturelles.

Séance du 10 Juillet 1905.

M. VL. KULCZYŃSKI m. c. **Fragmenta arachnologica, III.**

(Accedit tabula XI).

VI. De Episinis. Annotatio altera.

Europam *Episinorum* species non duae incolunt, ut putavi, sed quatuor. Duas earum non distinguebam ad hoc tempus; errorem cognovi, quum mihi Cel. R. de Lessert *Episinos* suos: *lugubrem* et *truncatum,* ad Genevam lectos, inspiciendos misit. Tertia species *Episinus maculipes* Cav. est; quartae exempla Gallica et Africana (in Algeriâ et in regno Tunetano lecta) communicavit mihi cum reliquis *Episinis* Gallicis benignissime Cel. E. Simon, cui gratias maximas ago.

Nomina harum specierum difficiliora sunt ad extricandum, pro parte saltem. Appellabo eas: *Episinum truncatum* Latr. (synon.: *E. lugubris* E. Sim., Bösenbg., de Lessert, Kulcz. p. p.), *E. angulatum* (Blackw.) (synon.: *E. truncatus* Bösenbg., de Lessert, Kulcz. p. p.), *E. maculipedem* Cav., *E. algiricum* Luc. (syn.: *E. truncatus* E. Sim.); quae nomina ex parte mutanda esse demonstrabunt fortasse investigationes futurae.

Episinus truncatus et *angulatus* inter se similes sunt valde, *E. maculipes* et *algiricus* etiam similiores.

Quae nuper scripsi de *Episino truncato* (*lugubri* [1]), non ad eum solum spectant, sed etiam ad *E. angulatum.* Differunt hae species inter se colore.

Episini truncati cephalothorax in adultis plerumque fere concolor est, rarius vestigia plus minusve manifesta picturae similis atque in *E. maculipede* ostendit; quae pictura in exemplis iunioribus plerumque bene, imo optime expressa esse solet; quum autem hac in re variet paullo etiam *E. angulatus,* color cephalothoracis notam, quae ad species has certo distinguendas sufficiat, praebere mihi non videtur. Melius distinguuntur *E. angulatus* et *truncatus* colore pedum, praesertim posticorum, quorum tibiae — cum parte apicali femorum, patellis, basi metatarsorum — obscurius aut pallidius rufofuscae sunt in hoc, flavidae vero fere in dimidiâ parte basali in *E. angulato.* Tibiae I *Episini truncati* saepissime totae rufofuscae, *E. angulati* saepissime medium versus sat late pallidiores sunt; occurrunt tamen exempla illius tibiis I annulo plus minusve manifesto, pallidiore, prope medium ornatis et exempla *E. angulati* tibiis I totis concoloribus. In exemplis valde iuvenibus *E. truncati* pedes antici, ornati in tibiis annulo submedio pallido optime expresso, non differunt a pedibus I *E. angulati;* tibiae IV loco annuli basalis pallidi, dimidiam fere internodii longitudinem occupantis, vestigium annuli pallidi prope basim siti ostendunt nonnunquam in *E. truncato.* Venter *E. truncati* in exemplis pallidius coloratis lineâ mediâ albidâ et saepe in latere utroque lineâ albidâ minus expressâ, retro et paullulo intus directâ ornatur; lineae hae in exemplis obscure coloratis evanescunt omnino aut adeo saltem, ut non nisi in animalculo in spiritum vini immerso cernantur; ceterum venter non aut parum pallidior est quam laterum partes vicinae. Venter *E. angulati* inter lineas albas similes atque in *E. truncato* (quarum media praesertim sat lata esse solet) punctis pallidis plus minusve adspersus, saepissime evidenter pallidior est quam laterum partes vicinae; nonnunquam puncta adeo manifesta et dense congesta sunt, ut venter areâ albidâ ornetur satis simili figurae, quam protulit W. Bösenberg in „Die Spinnen Deutschlands“ (tab. X, fig. 151 C: *E. truncatus*); non raro tamen puncta lineis interiecta evanescunt et venter parum differt picturâ a ventre *E. truncati.* Summatim. colore solo exempla adulta et obscure colorata

[1]) Fragmenta arachnologica. Bullet. Acad. Cracov. 1905. pag. 549.

harum specierum sat facile distinguuntur, pallida et iuniora vero difficilius.

Ad formam mares differunt inter se palpis, non valde quidem, sed evidenter saltem; epigynae ad distinguendas feminas parum prosunt. Partes patellares palporum eâdem esse formâ in utraque specie mihi videntur, pars tibialis brevior et latior in *E. truncato* quam in *E. angulato*. Lamina tarsalis apice in parte exteriore (superiore) omnino rotundata est in utrâque specie, neque in angulum rectum, summo apice rotundatum desinit ut in *E. maculipede*. Differt stemma dente nigro in latere superiore prope apicem sito; dens hic a latere exteriore adspectus angustior videtur in *E. truncato* [1]), sursum et anteriora versus directus, spatio parvo tantum distat ab apicibus processuum duorum, qui apicem stemmatis occupant, sursum fere directi, elongati, cornei, inter se contingentes, anterior apice in uncum brevem, foras directum curvatus, posterior apice rectus. In *E. angulato* dens respondens, sursum et paullulo foras, neque anteriora versus directus, latior, quum a latere exteriore adspicitur, sat late distat ab apicibus processuum apicalium, qui similes sunt atque in *Episino truncato*. Dens, de quo agitur, apice pilis paucis brevibus ornatus videtur in palpo non distorto utriusque speciei; re verâ pili hi cum dente contingunt modo et laminae tarsali adnati sunt.

Epigyna in utraque specie foveâ ornatur hemiellipticâ fere, circiter 0·32 mm latâ, ca. 0·21—0·24 longâ, sat profundâ, pone et in lateribus bene, ante vero parum — margine omnino obtuso — definitâ. Fundus foveae lineâ impressâ transversâ, inaequali, in *E. angulato* parum perspicuâ, in duas dividitur partes, quarum posterior anteriore multo pallidior esse solet in *E. truncato*, in *E. angulato* verum non evidenter pallidior. In illo pars posterior septo longitudinali, humili, angusto, plus minusve manifeste in foveolas duas transversas hemiellipticas dividitur; pars fundi anterior semicircularis plerumque in sectores tres dividitur, quorum medius lateralibus modo fere duplo latior est, modo eis minor, fortius impressus, concavus; sectores laterales, a medio carinis obtusis rectis distincti, fere plani, posteriora versus declives, modo maximam partem sublaeves, modo sat crasse reticulati. In *E. angulato* pars fundi poste-

[1]) Re vera dens hic latior est in *E. truncato* quam in *angulato*, sed pars eius interior membranacea difficilius conspicitur.

rior aequabiliter concava, septo medio caret; pars anterior utrimque ad marginem posticum tuberculo ornatur sat magno, modice elevato, saepe quam reliquus fundus obscurius colorato; tubercula haec sat late inter se distant; reliqua pars fundi anterior paene aequabiliter concava est. Quae differentiae, non magnae et paullo mutabiles, difficilius cernuntur, praesertim quum fovea epigynae materiâ quâdam (coitus signo?) ex parte repletur, quod non raro occurrit in *Episino angulato* saltem.

Episini: maculipes et species quaedam nova: *E. maderianus,* cuius feminam legit Rev. E. Schmitz in insulâ Madeirâ [1]), ab *E. truncato* et *angulato* optime distinguuntur pedum picturâ, quam l. c. descripsi (ex *Episino maculipede*) et plerumque sterno, quod secundum medium pallide flavidum, in lateribus umbrinum aut fuligineum est (occurrunt tamen exempla *E. maculipedis* vittâ pallidâ sterni fere deletâ et exempla *E. truncati* et *angulati* vestigio vittae talis ornata). Cephalothoracis pictura in eis similis est atque in exemplis *Episini angulati* distinctissime pictis.

Marem *Episini maderiani* non novi. *Episini maculipedis* lamina tarsalis non eâdem est formâ atque in *E. lugubri* et *angulato.* (Cfr. „Araneae Hungariae“ vol. 2. pag. 18. tab. I, fig. 10 b et 11 b). Stemma eius simile atque illorum, sed distinctum. Apices processuum trium, supra commemoratorum, in parte stemmatis apicali superiore contingunt inter se; eorum postremus (sive dens supra in stemmate ad apicem situs) lamella est tenuis cornea, non longior quam latior, apice late truncata, fere transverse posita, sursum et anteriora versus directa. E processibus duobus reliquis anterior prope angulum anticum inferiorem stemmatis initium capit, secundum marginem apicalem laminae tarsalis extenditur sursum, in parte basali modice latus, medium versus leviter angustatus in latere posteriore sive exteriore, inde usque ad apicem latitudine parum inaequali, apicem versus compressus lamelliformis, apice in latere interiore leviter rotundato dilatatus, paullulo anteriora versus flexus, breviter foras curvatus, in latere exteriore truncatus. Pro-

[1]) *Episinus maderianus* n. sp., simillimus *Ep. maculipedi* Cav., differt ab eo formâ epigynae, quae ad marginem posticum foveâ parvâ, profundâ, paullo oblongâ, et ante eam foveâ latiore, rotundatâ, modice profundâ ornatur. Femina adulta 4 mm longa.

cessus alter, ab apice longius remotus, in stemmate non distorto in eius latere inferiore medio fere, ad marginem laminae tarsalis initium capere videtur (pars eius basalis, angusta, pellucida, difficilius conspicitur, praesertim quod per eam embolus setiformis niger translucet) in parte basali valde angustus, ceterum late fusiformis fere, processui praecedenti parallelus, cum eo contingens, eo latior, apice in spinam nigram fortius contractus; pars apicalis processus huius processu anteriore non occultatur, quum stemma a fronte adspicitur.

Processus respondentes *Episini truncati* similem in modum siti sunt in stemmate; eorum anterior, in parte basali latus, medium versus in sinum profundum excisus in latere interiore sive anteriore; a parte hac apicem versus processus anterior impressus est in excavationem processus posterioris, cuius pars quaedam non impressa eum a margine apicali laminae tarsalis separat; pars apicalis angustior processus antici compressa et lamelliformis est, mediocri latitudine, primo leviter dilatata, tum paullo angustata, apice foras breviter curvata, in uncum latum acutum desinens. Pars processus posterioris, quae in stemmate non distorto pone processum anticum conspicitur, apicem versus longe et aequabiliter angustata videtur, processu eo etiam in parte latissimâ parum aut non latior; apex processus posterioris ita inter processum anticum et reliquum stemma situs est, ut in palpo a fronte viso, processu antico occultus, non conspiciatur. — *Episini angulati* processus respondentes similes mihi videntur atque in *E. truncato,* eorum posterior modo apice minus occultus.

Episini algirici pedes similem in modum picti sunt atque *E. maculipedis*, occurrunt tamen exempla picturâ pedum prorsus fere deletâ. Sternum in pallidioribus fuscum, secundum medium vittâ pallide flavidâ ornatum, in obscuris fuscum concolor. Cephalothoracis pictura non parum mutabilis, in exemplis pallidioribus similis atque in *E. maculipede,* minutiis quibusdam exceptis; in obscurioribus vitta media, dilatata et diffusa, cum lineâ marginibus parallelâ radiis coniungitur fuscis, quorum intervalla colore minus obscure fusco replentur; cephalothorax tum obscurius et pallidius umbrinus est, margine sat lato, inaequali aut interrupto, fulvo ornatus; nonnunquam etiam margo hic evanescit. In picturâ et formâ, praeter partes genitales, perpaucas modo differentias, easque non satis sibi constantes, video inter *E. algiricum* et *maculipedem.* *E. algiricus*

paullulo minor esse solet: cephalothorax feminae 1·5 — 1·7 mm., maris 1·5 longus. *E. maculipedis,* feminae. cephalothorax 1·6—1·8 (in exemplis Gallicis; in exemplo quodam Austriaco 2·0), maris 1·5—1·6 (in ex. Gallicis; in mare Croatico 1·7) longus. Tubera, quibus abdomen pone ornatur, melius evoluta in feminis *E. algirici,* ita, ut abdomen excavatum sit non solum inter apices tuberum, sed etiam inter eos et mamillas; directo desuper adspectum abdomen pone trilobum videtur. Abdomen *E. maculipedis* angulatum potius quam tuberculatum dici debet, non excavatum enim est inter apices tuberum, quae retro non prominent et cum mamillis lineâ leviter convexâ, neque concavâ coniunguntur. Sed post ovipositionem abdomen *E. algirici* similem formam induit atque *E. maculipedis.* Vitta media cephalothoracis, quum non diffusa est, latitudine usque ad apicem posticum aequali est in *E. algirico,* in *E. maculipede* pone, in parte thoracicâ, angustata: angustior quam in parte cephalicâ pone oculos; sed differentia haec adeo levis est, ut fere non nisi in exemplis altero propter alterum posito et comparato cernatur. Ventris area epigastrio et mamillis interiecta obscurius colorata quam laterum partes finitimae in *E. algirico* (praeter lineam mediam e punctis albidis conflatam, quâ ornatur), non obscurior plerumque in *E. maculipede.*

Partibus genitalibus imprimis differunt hae species inter se. Pars tibialis palporum maris directo a latere exteriore visa aeque lata est apice aut non multo latior quam longior in *E. algirico* (0·24 longa et lata; 0·26 lata, 0·21 longa), lamina tarsalis minor et angustior (0·84, 0·89 longa, 0·48, 0·52 lata). Dens stemmatis supra ad apicem situs, desuper et a parte posticâ visus, triangularis, paene aequilaterus aut paullo latior, apice acutus. Processus stemmatis apicalis apice intus non dilatatus, neque anteriora versus neque foras curvatus, angulo apicali anteriore rotundato, posteriore recto acuto, evidenter pone apicem processus posterioris productus. — *Episini maculipedis* pars tibialis a latere exteriore visa sescuplo saltem latior apice quam longior (0·32 lata, 0·19—0·21 longa), lamina tarsalis maior et latior (1·0 longa, 0·68 lata), dens stemmatis ad apicem supra situs latus, apice late truncatus, processus apicalis pone apicem processus posterioris non aut vix productus (cetera eius descriptio inspiciatur supra).

Epigyna *E. algirici* foveâ ornatur modice profundâ, paullo longiore quam latiore, rarius aeque longâ ac latâ (0·27, 0·24, 0·21,

0·19 longâ, 0·24, 0·19, 0·21, 0·19 latâ), in parte posteriore marginibus acutis, in anteriore obtusis definitâ, rotundatâ aut ellipticâ fere, pone paullo truncatâ, sed margine postico medio neque evidenter sinuato neque angulato; pars posterior fundi foveae, 0·13—0·16 longa, 0·18—0·19 lata, sulco profundo et acute impresso (ante et pone saltem) circumscribitur et maximam partem (margine antico angusto excepto) modice, inaequabiliter elevata est in tuberculum nitidum, humile, formâ paullo varians, impressione medianâ latâ obtusâ, neque sulco acuto, in parte anteriore dimidiâ aut paullo maiore divisum; nonnunquam tuberculum hoc impressionibus aliis etiam, minus profundis, ornatur. — Epigyna *E. maculipedis* non parum similis est, eius fovea tamen maior, aeque longa ac lata aut non evidenter longior saltem (0·29, 0·29, 0·31, 0·31 longa, 0·27, 0·32, 0·29, 0·32 lata), margo foveae posticus medius raro rectus, plerumque leviter sinuatus aut in angulum valde latum, anteriora versus directum fractus. Pars fundi foveae sulco circumscripta 0·24 lata, 0·18—0·19 longa, sulco profundo, omnino angusto in parte mediâ, anteriora et posteriora versus paullo dilatato, divisa secundum totam fere longitudinem, parte anticâ brevi aut brevissimâ modo exceptâ. Tubercula sulco distincta impressione ornantur vadosâ, plus minusve evidenti, in parte posticâ exteriore initium capienti, anteriora versus et intus directâ, paullulo incurvatâ, paullo varianti; pars tuberculi pone impressionem sita plerumque anteriore pallidius colorata.

Exempla *Episini maculipedis* in Africa septentrionali lecta, quae in thesauro Cel. E. Simonii conservantur, differunt paullo ab exemplis Europaeis: paullo minora sunt, cephalothorace feminae 1·35—1·5, maris 1·3 longo, sternum eorum plerumque totum umbrinum est, raro vittâ mediâ angustâ flavidâ ornatur, saepius vestigium vittae talis in animalculo in spiritum vini immerso tantum cernitur longitudine valde varians (totam longitudinem sterni aut partem anticam tantum occupans), venter vittis ornatur tribus longitudinalibus albidis (albo punctatis) plus minusve expressis, quae inter se spatiis obscurioribus, non aut minus dense punctatis distinguuntur (etiam in exemplis Europaeis vestigia picturae talis nonnunquam inveniuntur). Epigynae fovea minor (0·14, 0·16, 0·19, 0·19 longa, 0·19, 0·19, 0·21, 0·26 lata, pars fundi sulco circumscripta 0·11, 0·13, 0·14, 0·13 longa, 0·18, 0·18, 0·19, 0·22 lata), sulcus, quo tubercula fundum foveae ornantia distinguuntur, saepe mediocri latitudine et nonnun-

quam brevior; margo foveae posticus medius saepe in angulum evidentissimum fractus. Lamina tarsalis minor (0·82 longa, 0·50 lata, aeque itaque magna atque in exemplis Europaeis *E. algirici*); processus apicalis stemmatis apice minus evidenter dilatatus in latere interiore et minus deorsum et foras curvatus. — Propter has differentias formam Africanam ut varietatem propriam: *numidicam* n. a typico *E. maculipede* segregandam censeo.

Mares *Episini algirici* Africani non differre videntur a maribus Gallicis; feminas adultas Africanas non novi.

Episinus maderianus colore et abdominis formâ convenit cum *E. maculipede*. Sternum secundum medium pallide flavidum, in partibus lateralibus, quam vitta media paullo angustioribus, umbrinum; cephalothoracis flavidi margines angusti nigri, vitta mediana umbrina circa sulcum ordinarium leviter dilatata et stellata, pone eum angustata et angustior quam pone oculos; latera cephalothoracis lineâ ornata tenui umbrinâ, inaequali, cum vittâ medianâ radiis non coniuncta. Abdominis tubera mediocriter modo evoluta. Ventris pars epigastrio et mamillis interiecta utrimque lineâ albidâ interruptâ definita, umbrino cinerea, punctis albis et fuligineis ita adspersa ut in parte anteriore vittâ latiusculâ albidâ et ad eam utrimque ad epigastrium maculâ umbrinâ ornetur; in parte insequenti venter caret fere punctis albis, posterius abunde albo punctatus est, ad mamillas vero maculis duabus umbrinis in fundo cinereo pictus. Laterum partes ventri finitimae umbrino cinereae, albido punctatae. Epigyna ad marginem posticum foveâ ornatur parvâ, ca. 0·05 latâ, ca. 0·065 longâ, ovatâ fere, pone paullulo latiore, profundâ adeo, ut fundus difficilius conspiciatur, in lateribus et pone margine optime expresso, corneo, acutiusculo, librato circumdatâ; in fronte fovea haec margine paullo depresso et minus distincto definitur et a foveâ ante eam sitâ distinguitur, minus profundâ, ca. 0·11 latâ et longâ, rotundatâ, margine obtuso, mediocriter distincto, non indurato circumdatâ; fundus foveae anterioris parum inaequalis, certo situ in eius parte postremâ foveola minuta rotundata cernitur. — Fortasse differt haec species ab *E. maculipede* etiam oculis posticis paullo, quorum medii paullulo maiores mihi videntur quam laterales et non multo longius quam radio inter se distant; sed variat hac in re *E. maculipes*, cuius oculi postici medii modo lateralibus aequales et inter se diametro fere totâ remoti, modo lateralibus paullulo maiores sunt et inter se circiter sescuplo radio distant. —


Unicae feminae *E. maderiani*, quam vidi, cephalothorax 1·55 mm longus est, 1·45 latus, abdomen 3 longum, 1·8 latum, pedum I femur 2·45, tibia cum patellâ 2·9, metatarsus cum tarso 3·4, partes respondentes pedum II 1·7, 1·85, 2·2, pedum III 1·25, 1·4, 1·7, IV 2·5, 2·7, 3·2 mm longae.

Secundum exempla, quae in manibus habeo, incolit *Episinus truncatus* Angliam (marem adultum ad Dorset lectum communicavit mihi Fredr. Cambridge), Belgiam (leg. Rev. E. Schmitz), Galliam (coll. Cel. E. Simonii), Helvetiam (coll. Cel. R. de Lessert), Tiroliam, Austriam Inferiorem, Istriam, Bosniam, Croatiam, Hungariam, Galiciam; *E. angulatus:* Angliam (Dorset, feminam ad. legit Fredr. Cambridge), Galliam (coll. Cel. E. Simonii), Helvetiam (coll. Cel. R. de Lessert), Austriam Inferiorem, Hungariam, Galiciam; *E. maculipes:* Galliam (coll. Cel. E. Simonii), Austriam Inferiorem, Croatiam, Bosniam (?, epigyna feminae unicae, quam vidi, differt paullo ab epigynâ formae typicae), Algeriam cum regno Tunetano (var. *numidica*, Coll. Cel. E. Simonii); *E. algiricus:* Galliam, Algeriam cum regno Tunetano (coll. Cel. E. Simonii). — Teste W. Bösenbergio *Episinus angulatus* (*truncatus* Bösbg.) multo frequentior est in Germaniâ quam *E. truncatus* noster sive *E. lugubris* Bösbg. (?, facile crediderim *E. truncatum* frequentius quam *E. angulatus* occurrere in Germaniâ meridionali saltem). — Europam septentrionalem fortasse *E. angulatus* solus incolit; *E. truncatus* species magis meridionalis videtur, in partibus Europae mediae meridionalibus certo frequentior quam *E. angulatus*. *E. maculipes* Europam meridionalem imprimis inhabitat, ni fallor, et Africam septentrionalem, in Europâ mediâ non nisi rarissime occurrit. *E. algiricus* septentrionem versus probabiliter minus longe diffusus est quam *E. maculipes*.

Synonymia *Episinorum* contorta est adhuc non minus, fortasse magis, quam contorta erat, antequam Fragmenta arachnologica I. nostra in lucem edita sunt. Non dubito, quin *Episinus truncatus* Latreillei et Walckenaërii idem sit atque *E. lugubris* Cel. E. Simonii; haec species una est, cuius pedes postici in basi femorum albi, in medio fusci, ceterum albi describi possint. Quod de picturâ cephalothoracis et sterni scripsi in „Fragmentis“, pag. 552, nullius momenti est, pars cephalica enim lineâ flavidâ ornatur non solum

in *E. truncato* n. sed etiam in *angulato* et in *algirico* (nonnunquam saltem, minus evidenter quidem), sternum vittâ pallidâ caret aut carere potest in omnibus *Episinis* mihi notis, *Episino maderiano* excepto. Descriptio *Theridii angulati* a Blackwallio prolata in „A History of the Spiders cet.“ (descriptionem primam in Lond. and Edinb. Phil. Magaz. 1836 non novi) non satis subtilis est. Ad *E. truncatum* Latr. aut ad *E. angulatum* n. referenda ea videtur, quum in Angliâ hae duae species solae occurrant, quod sciam saltem. Fortasse confusae sunt hae species a Blackwallio in „A History“; typus speciei multo obscurius coloratus fuisse dicitur quam femina, quae depicta est in hoc libro; fortasse igitur typus *Theridii angulati* eadem species est atque *Episinus truncatus* Latr.; figurae Blackwalii ad *angulatum* nostrum potius referendae mihi videntur: si *E. truncatum* repraesentarent, artifex probabiliter patellas et tibias posticas concolores pinxisset, neque illas umbrinas. has vero flavidas. Quum *Episinus* ille, quem Bösenberg primus, ni fallor, ita descripsit, ut agnosci sine dubitatione possit[1]), et *Ep. truncatum* appellavit, nomen legitimum et certum non habeat, non improbabile autem videatur, *Theridium angulatum* eandem esse speciem, *Episinum* hunc: *angulatum* (Blackw.) appellandum censeo. *Episinus truncatus* C. L. Kochii idem est atque noster. Westringii *E. truncatus,* cuius internodia pedum, femoribus et patellis exceptis. pallida, basi et apice fusco-rufescentia describuntur, idem videtur atque *E. angulatus* n. An in Sueciâ *E. truncatus* occurrat, nescio; exemplum Suecicum, quod mihi olim T. Thorell communicavit, idem mihi visum est atque *E. lugubris* E. Sim. (*truncatus* Latr.), sed eo tempore *E. angulatum* ab *E. truncato* distinguere nescivi. Idem, quod de specie a Westringio descriptâ, dici potest de *E. truncato* Mengei; cui speciei subiungendus sit *E. truncatus* L. Beckerii, difficile est ad extricandum. W. Bösenbergii *E. lugubris* idem est atque *truncatus, truncatus* idem atque *angulatus* n. — *Episinum algiricum* H. Lucasii Cel. E. Simon *E. truncato* suo subiunxit, recte quidem. ni fallor; Africam septentrionalem non solum *E. truncatus* E. Sim. incolit quidem, sed etiam *E. maculipes,* descriptio tamen et figura *E. algirici,* propter abdomen profunde excisum inter tubera et propter vittam cephalothoracis, quae secundum figuram pone non angustata est, ad *E. truncatum* E. Sim. potius quam ad *E. maculi-*

[1]) Descriptio et imago epigynae l. c. tamen non rectae sunt.



Druk. Uniw. Jagiell. w Krakowie.

pedem referendae videntur. *E. maculipes* Cav., cuius tubera abdominalia mediocriter modo evoluta describuntur, certo idem est atque *E. maculipes* noster et ab *E. algirico* distinctus.

Explicatio tabulae.

1. *Episinus maculipes* Cav., pars tarsalis palpi dextri maris a fronte visa (× 52).
2. *E. algiricus* H. Luc., pars tarsalis palpi dextri maris a fronte visa (×52).
3. *E. truncatus* Latr., pars tarsalis palpi dextri maris a fronte visa (× 52).
4. *E. maculipes* Cav. *var. numidica* Kulcz., apices processuum apicalium stemmatis dextri a fronte visi (× 79).
5. *E. truncatus* Latr., dimidium apicale stemmatis dextri a latere exteriore visum (× 37).
6. *E. angulatus* (Blackw.), dimidium apicale stemmatis dextri a latere exteriore visum (× 37).
7. *E. angulatus* Blackw., pars tarsalis palpi dextri maris a fronte visa (× 52).
8. *E. algiricus* H. Luc., dimidium apicale stemmatis dextri a latere exteriore visum (× 52).
9. *E. maculipes* Cav., dimidium apicale stemmatis dextri a latere exteriore visum (× 37).
10. *E. algiricus* H. Luc., epigyna (× 66).
11. *E. algiricus* H. Luc., apex partis tarsalis dextri palpi maris, a parte posticâ superiore visus (× 52).
12. *E. truncatus* Latr., epigyna (× 52).
13. *E. maderianus* Kulcz., epigyna (66).
14. *E. truncatus* Latr., dens stemmatis dextri, prope eius angulum anticum supra situs (cum parte quadam laminae tarsalis) desuper simulque a parte posteriore visus (× 52).
15. *E. maculipes* Cav., apex partis tarsalis palpi dextri maris, a parte posticâ superiore visus (× 52).
16. *E. angulatus* (Blackw.), epigyna (× 52).
17. *E. maculipes* Cav. var. *numidica* Kulcz., epigyna (× 66).
18. *E. maculipes* Cav., epigyna (× 52).

pedem [illegible] vidétur. *E. macrolepa* Cav., cuius tubera abdo-minalia mediocriter modo evoluta describuntur, certo idem est atque *E. [illegible]* mentor et ab *E. [illegible]* distinctus.

[illegible]

1. *[illegible]* Cav., pars tarsalis palpi dextri [illegible]
2. *E. [illegible]* H. Luc., pars tarsalis palpi dextri maris a [illegible]
3. *E. [illegible]* Luc., pars [illegible] palpi dextri maris a fronte visa ([illegible]).
4. *E. [illegible]* Cav. [illegible], [illegible] [illegible] apicalium [illegible] dextri, a fronte visa ([illegible]).
5. *E. [illegible]* Luc., dimidiam apicale [illegible] dextri a [illegible] [illegible] visum ([illegible]).
6. *E. [illegible]* [illegible] apicale [illegible] dextri a latere exte-riore visum ([illegible]).
7. *E. [illegible]* [illegible], pars [illegible] palpi dextri maris a fronte visa ([illegible]).
8. *E. [illegible]* H. Luc., dimidium apicale [illegible] dextri a latere exte-riore visum ([illegible]).
9. *E. [illegible]* Cav., dimidium apicale [illegible] dextri a latere exteriore visum ([illegible]).
10. *E. [illegible]* H. Luc., epigyne ([illegible]).
11. *E. [illegible]* H. Luc., apex partis tarsalis dextri palpi maris, a parte in-feriore visus ([illegible]).
12. *E. [illegible]* Luc., epigyne ([illegible]).
13. *E. [illegible]* Koch, epigyne ([illegible]).
14. *E. [illegible]* Luc., [illegible] dextri, prope [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] tarsalis [illegible] a parte exte-riore visus ([illegible]).
15. *E. [illegible]* Cav., [illegible] palpi dextri [illegible] a parte [illegible] visus ([illegible]).
16. *E. [illegible]* (Blackw.), epigyne ([illegible]).
17. *E. [illegible]* Cav. var. [illegible], epigyne ([illegible]).
18. *E. [illegible]* Cav., epigyne ([illegible]).

Table des articles du No 5.

Mai 1905.

Table des articles du No 6.

Juin 1905.

Table des articles du No 7.

Juillet 1905.